



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

CCXI. Pius II. Anno Christi 1458. Federici III. Imperatoris 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

Eundem morem, eadēque de causā, ad implorandam videlicet opem divinam adversus Turcas, instauravit Alexander VI. ut ad an. 1500. narrant Raynaldus §. 4. & Spondanus §. 5. Qua de re multo fufius Angelus Rocca in Commentario de Campanis cap. 17. & 18. Vide annotat. 10. ad Joannem XXII. & 3. ad Benedictum XIII.

(3) Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum VIII. Idus Augusti: quocum sentit Spondanus ad an. 1456. §. 4. & Ludovicus Thomassinus lib. 2. De dierum Festorum celebratione cap. 19 §. 14. Ne credas igitur iis, qui Festum hoc ab Calisto III. institutum edunt.

(4) Platina in ejus Vita pag. 245.

(5) Idem Platina ibidem pag. 244.

CCXL.

## PIUS II.

ANNO CHRISTI 1458.

FEDERICI III. IMPERATORIS 19.

PIUS II. Senensis, *Piccolamineus*, appellatus antea *Aeneas Silvius*, XIV, Kal. Septembr, anno 1458. ad Summi Pontificatus dignitatem electus est, *litteris, eloquentia, dexteritate & prudentia nulli secundus, adeoque scribendo delectatus, ut nec perpeti morbi articularis dolore, nec multitudine negotio*

Rayn. an.  
1458. §.  
1. Spond.  
§. 9. 13.

Iii 3

tio

*tiorum oppressus ab eo cessare potuerit.* (1) Multa hic fecit præclare. In primis vetuit ab sententia Pontificis appellari ad futurum Concilium, penâ anathematis inhibita appellantis, (2) Rescivit omnia, quæ ipse contra Eugenium IV. egerat in Concilio Basileensi. (3) Abrogavit etiam *Compactata Bohemorum.* (4) Exortam inter *Franciscanos & Dominicanos* controversiam, utrum sanguini ab corpore Christi in passione separato adhæserit Verbum Divinum disceptari voluit coram se, iussitque silentium esse utrinque, arcens communionem Ecclesiæ, si qui secus faxint. (5) *Rogatus à suis Civibus B. Catharinam Senensem inter Sanctas Christi Virgines retulit.* Idem persuasit Ludovico XI. Gallorum Regi, ut *pragmaticam sanctionem, quam Pater ejus induxerat, prorsus eliminaret, & Apostolicæ Sedis in rebus Ecclesiasticis summum imperium*

Rayn. an. *permitteret.* (6) Bellum sacrum adversus Turcas haud minori, quàm Calistus III. paravit curâ. Profectus enim Mantuam habuit in id Episcoporum & Principum conventum. Ac de-

decretum in eo bellum instructum non est, conversis in alia Principum studiis. Itaque quod armis non potuit, scriptis tentavit, datâ epistolâ ad Mahumetem, quâ eum hortatus est, ut amplecteretur Christiana sacra. (7) Cùm hæc surdis auribus dixisset, animum retulit ad expeditionem in Mantuano Concilio motam. *Magnâ vi mortalium ad famam pie expeditionis ad eum in Urbem conflante, Anconem venit: nec multò post adfuit illic sedenti per litteras evocatus Christophorus Maurus Venetorum Princeps cum decem triremibus militari bellicoque apparatu egregiè instructis.* (8) At Pius morbo, qui jam remiserat, ingravescente, XIX. Kal. Septembr. anno 1464. ætatis nono fere supra quinquagesimum, biduo defecit, Pontifex annorum sex minùs diebus quinque. Corpus sepultum Romæ in sacello Ædis Vaticanæ, in quo duobus ante annis caput S. Andreae Apostoli à Thoma Palæologo Peloponnesi Principe acceptum solemni pompâ reposuerat.

Rayn. an.  
1460. §.  
1. 1462.  
§. 1. 5. 16.

Rayn. an.  
1464. §.  
36. 40. 49.  
Spond.  
§. 8. 9.

## ANNOTATIONES.

(1) Spondanus ad an. 1458. §. 9. & 13.

(2) Constitut. 5. quam rem Gregorius XIII. constitut. 81. & Paulus V. constitut. 41. inferuerunt in *Bullam Cæne Domini*.

(3) Constitutione 10. tom. 1. Bullarum pag. 392. & tom. 13. Conc. Lab. pag. 148. *Sequitur, quæ nunc dicimus, & sermone magis, quam iuveni credite, nec prius hominem pluris facite, quam Pontificem: Æneam rejicite, Pium recipite.* Hæc ideo annotata sunt, ut sciant omnes, etiamsi Æneæ Silvii Oratio alicubi recedit, videatur ab sententia communi Theologorum Romanorum, non inde tamen colligi posse, ita locutum esse Pium II.

(4) Erant pacta quædam inita inter Legatos Concilii Basileensis, & Bohemos, probata postea ab eodem Concilio, quorum vigore abdicabant ab sese Bohemi quatuor articulos erroneos, illo dempto, qui de *Communione duplici* (hoc est sub utraque specie) *nuncupatur*, ut ait idem Æneæ Silvius in Oratione habita coram Callisto III. apud Muratorium tom. 3. Anecd. pag. 313.

(5) Afferebant D. Francisci discipuli sanguinem Christi per triduum passionis effusum, non fuisse cum Verbo conjunctum *hypostaticè*, ob eamque rem non adorandum cultu *Latriæ*. Contrariam sententiam

tiam ut defenderent viri ex familia S Dominici, manibus pedibusque obnixè omnia faciebant. *Major pars sententiam Prædicatorum approbavit, pauci cum Minoribus sensere. Pius quoque in majore parte fuit*, ut Lib. 11. Comment. Pii II. pag. 537. ait Joannes Gobellinus, qui fuit à secretis ejusdem Pontificis. Rem fusè narant idem Gobellinus, Spondanus ad an. 1462. §. 12. Raynaldus ad an. eund. §. 45. Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatis & Beat. Canoniz. lib. 2. cap. 30. num. 1. & Cardinalis de Lugo De incarnatione disputat. 14. ubi Dominicanorum opinionem probat.

(6) Joan Gobellinus Comment. Pii II. lib. 5. pag. 246. & lib. 6. pag. 300. 301. & pag. 336. 338. & 343.

Apud Raynaldum ad an. 1461. §. 138. & Labbeum tom. 14. Conc. pag. 97. est epistola Ludovici XI. ad Pium II. in qua ille professus omnibus victimis potiore obedienciam esse, abrogat Pragmaticam sanctionem, utpote quæ in seditione & schismatis tempore nata sit, & quæ, dum Romano Pontifici, à quo sacrae Leges oriuntur & manant, quantalibet eripit auctoritatem, omne jus & omnem legem dissolvit. Vide Raynaldum ad an. 1516. §. 22. Petrum de Marca lib. 6. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 9. §. 10. & annotat. 6. ad Julium II.

Kii 5

Por-

Porro Pragmaticæ Sanctionis, quæ fertur nomine S. Ludovici IX. *fidem non satis firmis niti fundamentis*, atque adeo subdititiam esse, docet Scriptor Gallus Ludovicus Thomassinus De vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 2. lib. 2. cap. 33. §. 4. & part. 3. lib. 1. cap. 43. §. 17.

(7) Exstat epistola, seu potius libellus etiam apud Raynaldum ad an. 1461. §. 44.

(8) Petrus Justinianus Rerum Venetarum lib. 8. p. 283.

CCXIII.

**PAULUS. II.**

ANNO CHRISTI 1464.

FEDERICI III. IMPERATORIS. 25.

PAULO II. Veneto, *Nicolai Borbi*, & Polyxenæ sororis Eugenii Rayn. an. 1464. IV. filio, annos duodequinginta §. 54. 55. nato, cui antea nomen *Petrus* fuerat, anno 1464. III. Kal. Septembr. Spond. 57. 62. primo comitiorum die, maximâ omnium admiratione, summi Pontificatus honos delatus est. Ad tantam dignitatem perventurum B. Virgo paulò antè prædixerat, cum Domum ejus Lauretanam pestilentia tactus adiisset